



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **KASANA-LUVEERINA** IN UGANDA NOVA
CONDITUR DIOECESIS KASANA-LUVEERINA

Cum ad aeternam provehendam salutem gregis Dominici in Uganda eiusque regimini facilius et efficacius consulendum antea esset petatum ut, divisa Kampalaënsi archidioecesi, nova ibidem circumscriptio ecclesiastica constitueretur, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules, qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione sunt praepositi, omnibus mature perpensis habitoque pariter faventi voto eorum quorum interest, ad motam postulationem censuerunt esse accipiendam. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere supremi Pastoris universae catholicae Ecclesiae, talem sententiam ratam habentes, summa Nostra potestate haec decernimus. A Kampalaënsi archidioecesi separamus territorium regionis civilis, quae patrio sermone nuncupatur « Luweero »; ex eoque novam constituimus dioecesim *Kasanam Luveerinam*, quam metropolitanae Ecclesiae Kampalaënsi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus, cuius limites iidem erunt ac illi memoratae civilis regionis. Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in urbe « Kasana » atque ibidem exstans templum Deo dicatum in honorem Beatae Mariae Virginis titulo Annuntiationis Dominae Nostrae invocatae ad dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum Venerabilis Frater Aloisius Robles Díaz, Archiepiscopus titulo Stephaniacensis atque in Uganda Pro-Nuntius Apostolicus, qui, re acta, curabit documenta exaranda sincerisque exemplis ad Congregationem, quam diximus, cito mittenda. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die tricesimo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo sexto, Pontificatus Nostri undevicesimo.

ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i>	IOSEPHUS card. TOMKO <i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>
---	---

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. LXXXIX (1997), n. 4, pp. 245-246

© Copyright 1996 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana